



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1783**

**VD18 90119304**

§. 22. Mediobarbus Papæ Legatus in Europam reversus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

Sæc. XVIII., stati Tuæ obsequia deferendi honore  
 A. C. 1721., beandum., Quamprimum Legatus  
 e suæ Majestatis cubiculo exierat, mox  
 omnes Mandarinum singularem honorem  
 sibi ab ea exhibitum gratulantes testa-  
 bantur, quod ab immemorabili tempore  
 nunquam Sinensis aliquis Imperator  
 tot amoris & benevolentiae significatio-  
 nes etiam sibi Charissimis imo nequi-  
 dem propriis filiis exhibuerit.

## §. XXII.

*Mediobarbus Papæ Legatus in Eu-  
ropam reversus.*

*De Halde  
h. c.*

Die tertia Martii Mediobarbus Visi-  
 tator ac Legatus Apostolicus cum  
 suis in Europam reversuris Peckino  
 Cantonem, comitantibus eum *Ly Ta-  
 gin*, PP. Magaleo, & Josepho Pereira,  
 & Carolo Saviato, contendit ad hanc  
 urbem: Cingebatur per tres leucas  
 extra Peckinum honorifica Mandari-  
 norum, necnon Ripæ & quorundam  
 Jesuitarum corona: Morabatur Lega-  
 tus quadriduum in Cantonensi urbe,  
 inde vero honoribus suæ dignitati con-  
 gruis ubique exceptus, Macaoum die  
 vigesima tertia ejusdem Mensis venit.  
 Priusquam vero e Sinensi Imperio pe-  
 nitus excederet, Epistolam seu Instru-  
 ctionem Pastoralem ad omnes Missio-  
 narios



narios die quarta Novembris Ma-  
 caoi scriptam transmisit: Erat au-  
 tem hujus Epistolæ Pastoralis tenor  
 sequens.

„Carolus Ambrosius Mediobarbus,  
 „Dei & Apostolicæ Sedis gratia Pa-  
 „triarcha Alexandrinus, necnon in In-  
 „diis orientalibus, ac Sinarum Impe-  
 „rio, finitimisque Regnis & Insulis  
 „Commissarius, & Visitator generalis  
 „Apostolicus cum facultate Legati de  
 „Latere &c. Omnibus Episcopis, Vi-  
 „cariis Apostolicis, ac Missionariis, qui  
 „in prædictis partibus degunt, salutem  
 „in eo, qui est omnium vera salus.,

„Benedictus Deus, & Pater Do-  
 „mini nostri Jesu Christi, Pater mise-  
 „ricordiarum, & Deus totius consola-  
 „tionis, qui consolatur nos in omni  
 „consolatione nostra, ut possimus &  
 „ipsi consolari eos, qui in omni pres-  
 „sura sunt, per exhortationem, qua  
 „exhortamur & ipsi a Deo. Nil ete-  
 „nim Nobis magis in animo fuit, ex  
 „quo in Sinarum Imperium, Deo fa-  
 „vente pervenimus, quam cum iis om-  
 „nibus, qui in hac Evangelica vinea  
 „laborant, os ad os loqui; desideravi-  
 „mus enim videre vos, ut aliquid im-  
 „pertiremur vobis gratiæ spiritualis ad  
 „confirmandum vos, id est, simul con-  
 „solari in vobis per eam, quæ ad in-  
 „vicem

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1721.



Sæc. XVIII. „vicem est, fidem vestram, atque meam.  
 A. C. 1721. „Verum, quia non sapientiam hujus  
 „sæculi locuti fuimus, in timore, &  
 „tremore multo fuimus apud vos, sa-  
 „tiusque duximus, ad sedandam tem-  
 „pestatem adversus Evangelicos Ope-  
 „rarios ingruentem, Nos in mare pro-  
 „ficere, ut vos jactari sinatis: Adju-  
 „tor noster nunc & erit ille Deus, qui  
 „dedit Nobis in mari viam, & in aquis  
 „torrentibus semitam. Veritatem di-  
 „cimus in Christo, non mentimur,  
 „testimonium Nobis perhibente con-  
 „scientia nostra in Spiritu sancto; quo-  
 „niam tristitia Nobis magna est, &  
 „continuis dolor adhæret cordi nostro,  
 „quod præsentibus non potuerimus so-  
 „lari vos, ut fructum aliquem habe-  
 „remus, & in vobis, & in cæteris  
 „gentibus. „

„At vero, quod non licuit per præ-  
 „sentiam agere, saltem per epistolam  
 „non impedimur. Primum quidem  
 „gratias agimus Deo nostro per Jesum  
 „Christum pro omnibus vobis; qui Spi-  
 „ritu sancto ferventes, & fortes, sanctæ  
 „Sedis mandatis rationabile exhibetis  
 „ministerium vestrum, jactantes cogi-  
 „tatum in eum, cui a Domino dictum  
 „est: pasce oves meas, cui traditæ sunt  
 „claves Domus David; si aperit, non  
 „est, qui claudat, si claudit, non est,  
 „qui



„qui aperiat. Quotquot estis, macte Sæc. XVIII.  
 „animis, vigilate, state in fide, viri- A. C. 1721.  
 „liter agite & confortamini, quia mer-  
 „ces vestra magna est in cælis. Mini-  
 „sterium vestrum implete, attendite  
 „vobis, & doctrinæ. Lucernæ estote,  
 „non minus lucentes exemplo, ac Zelo  
 „prædicationis ardentis. Si qui vero  
 „adhuc essent hæsitantes, & in opere  
 „non efficaces, obsecramus vos, fra-  
 „tres, per nomen Domini nostri Jesu  
 „Christi, ut id ipsum dicatis omnes,  
 „& non sint in vobis schismata, sitis  
 „perfecti in eodem sensu, & in eadem  
 „sententia. Non amplius invicem ju-  
 „dicemus. Unusquisque vestrum pari  
 „humilitate, ac obedientia sanctæ Se-  
 „dis mandatis obsequatur, ut vestra  
 „obedientia in omnem locum divulge-  
 „tur. Non enim opus est, ut aliquem  
 „actum faciamus, ut Sanctissimi Do-  
 „mini Nostri Clementis Papæ XI. man-  
 „data jam promulgata vobis innot-  
 „scent, vimque habeant, ut absque  
 „ulla tergiversatione executioni man-  
 „dentur. Nihil proinde innovamus,  
 „sed relinquimus res, prout sunt; hoc  
 „est, nullatenus constitutionem super  
 „ritibus Sinicis a Sanctissimo Domino  
 „nostro Clemente Papa XI. die 19. Mar-  
 „tii 1715. emanatam suspendimus, aut  
 „quæ in ea vetantur, permittimus. Ob  
 „ali-



Sæc. XVIII., aliqua tamen quibusdam Millionariis  
A. C. 1721., circa quasdam cæremonias peragi  
 „consuetas suborta dubia, ut quilibet  
 „in vinea Domini strenue, ac viriliter  
 „laborare queat, nonnulla adnotamus,  
 „quæ permitti poterunt: & quæ sepa-  
 „ratim unicuique secundum quæsitâ  
 „dedissemus, nisi compertum Nobis  
 „esset, unacum incertis nuntiis jam  
 „disseminata, proborum animos, &  
 „Christi fideles bonæ voluntatis non  
 „parum perturbasse. Omni igitur, quo  
 „poteritis studio, ac diligentia curare  
 „debetis, ut gentium cæremoniis pe-  
 „nitius sublatis illi sensim a Christianis  
 „& pro Christianis usu recipiantur ritus,  
 „quos Catholica Ecclesia pie præ-  
 „scripsit. „

Postea octo illas concessiones, prout  
 eas jam in Tomo LXX. pag. 619. re-  
 censuimus, subjunxit, ita demum pro-  
 fecutus :

„Apostolici ergo Viri Ecclesiam ex-  
 „hibentes non habentem maculam,  
 „neque rugam, ponant manum suam  
 „ad aratrum, nec respiciant retro. Vi-  
 „dete fratres vocationem vestram, non  
 „enim auditores legis justi sunt apud  
 „Deum, sed factores legis justificaban-  
 „tur. Obsecramus itaque vos, ut  
 „digne ambuletis vocatione, qua vo-  
 „cati estis, solliciti servare unitatem  
 „ipi-



„f. iritus in vinculo pacis. Ne diutius  
 „agamus secundum potestatem, pater- Sæc. XVIII. A C 1721.  
 „ne vos commonere voluimus per epi-  
 „stolam. Amabilem illum Patremfa-  
 „milias, qui exiit primo mane condu-  
 „cere operarios in vineam suam, au-  
 „dite: quid hic statis tota die otiosi?  
 „Ite & vos in vineam meam. Vocem  
 „Patris perpendite, & illam Judicis  
 „timete. Ipsi vos probate; virtus e-  
 „nim Dei erit vobis in auxilium, &  
 „plenam ministerio Verbi Dei functi  
 „recipietis mercedem, immarcescibilem  
 „nimirum a Pastorum Principe gloriæ  
 „coronam. Ne quis vos seducat ina-  
 „nibus verbis obedire veritati. Sci-  
 „tote, quod obedientes voci ejus, qui  
 „misit vos, rationem non eritis reddi-  
 „turi pro animabus, sed unusquisque  
 „vestrum pro se rationem reddet Deo.  
 „Quicumque sub diversis prætextibus  
 „cessandum sibi putat a ministerio Mis-  
 „sionarii, lædit animam suam, & de-  
 „alienis æterno Judici rationem red-  
 „det. Quam dabit homo commuta-  
 „tionem pro anima sua, & pro alienis?  
 „Deus est vitis vera, vos palmites:  
 „qui non ferent fructus in eum, are-  
 „scent tanquam palmites; & collecti,  
 „& alligati in fasciculos ad comburen-  
 „dum mittentur in caminum ignis in-  
 „extinguibilis. Respicite Dominum.  
*Hist. Eccles. Tom. LXXI, F. „49*



Sæc. XVIII. „nostrum Jesum Christum, secus viam  
 A.C. 1721. „ambulantem, qui in fici arbore nihil  
 „invenit, nisi folia tantum, & ait illi:  
 „nunquam ex te nascantur fructus in  
 „sempiternum. Si aliqui palmites jam  
 „diu conversi in amaritudinem, qui ex-  
 „spectabantur, ut tandem facerent  
 „uvas, spinas super spinas adjecissent,  
 „væ, væ, a die iræ, a die furoris, &  
 „indignationis Domini? attendite ad  
 „verba, quæ mandat vobis per servum  
 „suum Dominus adhuc misericors. Re-  
 „vertimini ad Deum vestrum, manete  
 „in eo, qui manens in vobis purgabit  
 „vos, & desideratos cunctis gentibus  
 „fructus afferetis. Apostolico satisfac-  
 „cisse nos muneri judicamus, non e-  
 „nim subterfugimus, quominus annun-  
 „tiaremus omne consilium Dei vobis,  
 „ut nullam excusationem habeatis de  
 „peccatis vestris. De cætero, quot  
 „quot eritis obedientes, fratres, gau-  
 „dete, perfecti estote, exhortamini,  
 „idem sapite, pacem habete; & Deus  
 „pacis & dilectionis erit vobiscum.,  
 „Cum vero ad promovendam in  
 „Neophitis debitam decretis Apосто-  
 „licis obedientiam, præsentium nostra-  
 „rum literarum notitiam iisdem Neo-  
 „phitis minime necessariam esse, sed  
 „satis esse, eos in viam Salutis diri-  
 „gere, juxta Pontificiæ Constitutionis  
 „præ



Sæc. XVIII.  
A. C. 1721.

„præscripta, compertum sit, ne quis  
 „eorum, ad quos præsentēs literæ di-  
 „rectæ sunt, cujuscunque Ordinis, aut  
 „Instituti, aut Congregationis fuerit,  
 „aut Societatis etiam Jesu, præsentēs  
 „literas, aut quæ in eis continentur  
 „(exceptis permissionibus, quæ qui-  
 „dem caute, & ubi necessitas tantum,  
 „aut utilitas postulaverit, patefacien-  
 „dæ erunt) sive directe, sive indirecte,  
 „per se, vel per alium voce tenus, aut  
 „scripto in linguam Tartaram, aut Si-  
 „nicam vertat, aut quocunque modo  
 „cuilibet, qui Missionarius non sit, nota  
 „faciat, sub excommunicationis latæ  
 „sententiæ, a qua non nisi a Nobis, aut  
 „a summo Pontifice (præterquam in  
 „articulo mortis constitutus) absolvi  
 „possit, & quoad Regulares etiam pri-  
 „vationis vocis activæ, & passivæ, pœ-  
 „nis, per contrafacientes ipso facto  
 „absque alia declaratione incurrendis,  
 „tenore præsentium vetamus, & in  
 „virtute sanctæ obedientiæ prohibemus.  
 „Datum Macai in Palatio nostræ Resi-  
 „dentiæ die quarta Novembris Anno  
 „Christi millesimo septingentesimo vi-  
 „gesimo primo.,,

Præ ceteris in hac epistola admi-  
 randum est, admodum caute & pru-  
 denter Mediobarbum Patriarcham ac  
 Legatum annotasse I. quod hujus suæ



Sæc. XVIII. epistolæ notitia non sit necessaria ad  
A. C. 1721. promovendam in Neophitis erga Pon-  
 tificia decreta observantiam, sed ad id  
 sufficere notitiam & vim ipsius Consti-  
 tutionis Pontificiæ ac II. propterea  
 hanc epistolam verti, aut eam aliis,  
 qui Missionarii non essent, palam fieri  
 interdixerit, III. quod ejus permissio-  
 nes nonnisi caute, & duntaxat, ubi  
 utilitas vel necessitas id postularet, e-  
 vulgandæ essent. Hisce cautelis Pa-  
 triarcha haud obscure indicavit, quod  
 has permissiones nonnisi invitus & ma-  
 ximis animi angustiis pressus, anceps  
 & perplexus evulgarit, ac solummodo  
 spectata præsentis rerum vicissitudine  
 œconomia quadam pro loci temporis-  
 que circumstantiis tum prorsus neces-  
 saria usus fuerit, id nunquam permis-  
 surus, si libertas sibi data fuisset rem  
 discutiendi cum Episcopis, aliisque  
 doctis Viris, qui nihil aliud, quam  
 Christiani cultus puritatem, & Aposto-  
 licæ Constitutionis observantiam ante  
 oculos habuissent. Unde perperam &  
 contra expressam Patriarchæ volunta-  
 tem egerunt illi, qui, ut Constitutio-  
 nem juxta has permissiones interpre-  
 tandi obtentum haberent, ejusdem e-  
 pistolam in Sinenſi Imperio divulgarent,  
 ac propterea Francisci Episcopi Pecki-  
 ænsis instructiones Pastorales, quibus  
 Diæ-



Diæcesis suæ Millionariis Constitutio Sæc. XVIII.  
 nem: *Ex illa die* juxta Mediobarbi per- A. C. 1721.  
 missiones observari præcepit, a Cle-  
 mente XII. Anno 1735. prohibitæ fue-  
 runt.

§. XXIII.

*Cadaver Cardinalis de Tournon a Me-  
 diobarbo Patriarcha Alexandri-  
 no Macao Romam trans-  
 latum.*

Cum autem Mediobarbus Legatus Ma-  
 caoi sese ab Episcopo, Gubernatore & Senatu regis pene honoribus  
 excipi, sibi que debitam venerationem *Vit. Card. Tourn. t. I. pag. 147.*  
 & Pontificiis decretis plenam exhiberi *Vian. l. c. pag. 254.*  
 obedientiam cerneret, firmam con- *Holberg. Hist. univ. part. 4. fol. 148.*  
 ceperat spem, hos quoque peroptatu- *Hist. univ. t. 8. n. 950.*  
 ros, ut Cardinalis Tournonii, qui ibi-  
 dem Apostolicæ constantiæ Martyr obiit,  
 memoria debitis honoribus decorare-  
 tur: eapropter die octava Decembris  
 præfato Macaonensi Gubernatori signi-  
 ficabat, quod venerabile hujus Emi-  
 nentissimi Legati cadaver secum Ro-  
 mam deferre, deliberatissimum habe-  
 ret, nec ipsum huic consilio adversa-  
 turum speraret, eoquod Joannes Lusitaniæ Rex, ut hanc translationem li-  
 bere permetteret, disertis ei verbis præ-  
 cepisset. Initio tergiversabatur Guber-  
 nator,